

tuae etc., ad quam et ipse et alii signo Crucis se signant. Psalmodia cum gravitate, devotione et inflexione vocis in fine cuiusque Psalmi, Antiphonae, Versiculi, Respondentis et Lectionis peragatur.

1364. Post unumquemque Psalmum Matutini et Laudum extinguitur una candela ex quindecim candelis positis in triangulo, incipiendo ab infima, hinc a parte Evangelii, et sic a parte Epistolae ¹ alternatim; decima quinta, quae est in cuspide candelabri, remanet accensa.

1365. Lecturi vel cantaturi Lamentationes cum litteris alphabeticis Hebraeorum, devotissime cantent. In principio Lectionum non petitur benedictio, nec in fine dicitur: *Tu autem Domine.*

1366. Laudes Superior absolute incipit signo Crucis, intonans primam Antiphonam. Ad *Benedictus*, Sacrista extinguit lampades, quae sunt in Ecclesia, illa excepta, quae ardet coram SS. Sacramento; interim pariter extinguuntur sex candelae in Altari positae per sex ultimos versus eiusdem Cantici, incipiendo ab extrema quae est in cornu Evangelii: extinguitur hinc extrema, a parte Epistolae, et sic alternatim ad quemlibet versiculum, ita ut ad ultimum versum extingatur, quae est prope Crucem in cornu Epistolae.

1367. Cum repetitur Antiphona post *Benedictus*, Sacrista candelam, quae in triangulo accensa manet, tollit, et elevata manu sustinet super cornu Epistolae Altaris usque ad finem Antiphonae, et statim illam sic accensam abscondit retro Altare. Amoto lumine, gravi

¹ Caeremon. Episcop. I. II, c. XXII, n. 7.

voce intonat Superior, et Chorus prosequitur: *Christus factus est* etc., et omnes genuflectunt. Quo finito dicitur: *Pater noster*, totum cum silentio, moxque Psalmus *Miserere* flebili voce canitur. Post Psalmum, Superior genuflexus permanens ac caput paululum inclinans, recitat Orationem: *Respice, quae sumus*, et in fine dicendo *tormentum*, vocem parumper deprimit, secreto complens: *Qui tecum vivit et regnat* etc. Qua finita, fit modicus strepitus, donec Sacrista candelam praedictam accensam, quae fuerit abscondita, in medium proferat, et statim cessabit. Triangulum removetur et reponitur. Haec omnia servantur in duobus quoque sequentibus Matutinis.

1368. Matutinum his tribus diebus terminari debet sole occidente, ut mystica significatio repraesentetur, id est occasus Solis Iustitiae, qui est Christus Dominus, et significantur gentis iudaicae tenebrae in mundi Servatorem negando et crucifigendo.

§ III. — De feria V in Coena Domini.

1369. Pro hodiernis functionibus persolvendis, praeparari debent in Altari solemniter ornato et pallio albi coloris contecto, dimisso violaceo post Nonam: Crux inter candelabra, tecta velo albi coloris, cui superpositum aliud sit coloris violacei, amovendum facile post Nonam: Missale super pulvino albo sive legili in cornu Epistolae.

1370. In Credentialia: Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi et dupli hostia; alias Calix amplius cum palla, Patena, velo albo, et ligula serica albi coloris; Pyxis cum particulis consecrandis ad Communionem

Fratrum; pelvica cum urceolis vini et aquae, et manutergio; thuribulum cum navicula; Velum humerale albi coloris; mappa oblonga pro Communione Fratrum. Prope Credentiam: Crux processionalis cooperta velo violaceo; baldachinum hastatum vel umbella pro processione; et crotalum.

1371. In Sacristia: tria superpellicea pro Clericis, et aliud cum Stola pro Sacerdote assistente, si habeatur; Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola et Planeta albi coloris; Pluviale album; Stola violacea; focus cum igne et forcipe; in Choro funalia sive candelae pro processione: et Stolae albae pro Sacerdotibus communicantibus.

1372. Sacellum, ubi reponendum est SS. Sacramentum pro sequenti die aliturgico, ornari debet, quo pulchrius ac magnificentius poterit, velis, non tamen nigris, floribus ac copioso numero cereorum, exclusa quacumque scenica repraesentatione, ne non quibuscumque figuris vel symbolis sepulturam dominicam significantibus; neque licet subtus Altare, ut perperam alicubi fit, Christi vita functi imaginem ponere.

1373. Supra Altare dispositus sit sufficiens numerus candelaborum cum candelis albis; in medio, Capsula seu Arcula elegans, clave firmata, pro Calice servando; Corporale stratum intra Capsulam; aliud Corporale super Altari; scabellum graduatum pro repositione Calicis in Capsula. Caveatur autem ne, cum clausa fuerit Urna, Calix intus inclusus ab aliqua parte videatur.

1374. Martyrologium hodie et duobus subsequentibus diebus non legitur.

1375. Dicta Nona, Clerici induiti superpelliceis disponunt omnia suis locis, ut supra. Primus Clericus accendit candelas in Altari maiori, et aptat Calicem in medio eius, et retro illum Pyxidem cum particulis. Celebrans, praecedentibus Clericis, et Sacerdote assistente, si haberi possit, manibus iunctis, procedit tecto capite ad Altare more solito ad Missam celebrandam, quae saltem cum incensatione celebranda est.

1376. In Missa ad Confessionem omittitur Psalmus *Iudica*; ad Introitum et post Psalmum *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri*. Ad *Gloria in excelsis Deo*, pulsantur campanae, quae deinde silent usque ad *Gloria in excelsis* in Sabbato sancto. Loco tintinnabuli adhibetur crotalum ad excitandam attentionem adstantium¹. Ad finem Praefationis duo saltem Clerici, aut Fratres Laici cotta induiti venient ad Presbyterium cum intonaciis accensis et ibi genuflexi manebunt usque ad perfectam Communionem.

1377. Ultra hostiam consuetam, consecrantur et alia, ne non particulae pro Communione Fratrum ac Fidelium, et pro infirmis.

1378. Celebrans dicit *Agnus Dei* more solito, sed non datur pax. Primus Acolythus afferet ex credentia ad Altare Calicem vacuum cum Patena, palla, velo et taenia serica albi coloris. Celebrans, sumpto SS. Sanguine, cooperit Calicem et ponit seorsim versus cornu Evangelii super Corporale; hinc adiuvante Sacerdote assistente, si adsit, Stola alba prius assumpta, in altero Calice, facta prius ab utroque genuflexione, al-

¹ S. Rit. C. 7 Septemb. 1850, in Veronen. ad 14.

teram Hostiam consecratam ponit. Assistens Calicem cooperit palla et Patena inversa, et velum desuper extendit et supra nodum colligit ac taenia alligat, interim Celebrante manum dexteram seu digitos ipsius medium et annulare supra velum et Patenam tenente, hinc Calicem ipsum in medio Corporalis versus Crucem seu Tabernaculum collocat. Si vero Sacerdos assistens non adesset, haec omnia ipse Celebrans peragit, sed velum non alligat nisi ablutione assumpta.

1379. Deinde Pyxidem ante praefatum Calicem Celebrans aut Assistens ponit, discooperit, et simul genuflectunt. Clericus interim genuflexus in cornu Epistolae, omnibus similiter genua flectentibus, dicit alta voce *Confiteor Deo* etc. Celebrans, iterata genuflexione, convertitur ad populum, retrahens se paululum in cornu Evangelii facie aliquantulum versa ad latus Epistolae, et subiungit *Misereatur* etc. *Indulgentiam* etc. ut alias. Interea duo Clerici assistentes surgunt, simul genuflectunt in medio, et primus accipit ex abaco tobaleam seu velum oblongum, tradit alteri unam extremitatum ipsius, et iterum simul genuflexione peracta, concorditer ascendunt ad latera suppedanei, ibi procumbunt in genua et velum seu tobaleam explicant ante Fratres communicandos, qui a Choro ordinatim procedunt in Presbyterium. Celebrans ad Altare conversus genuflectit, sinistra Pyxidem super nodum accipit et dextera unam Particulam extrahit, quam supra Pyxidem parum elevatam tenens se vertit ad communicandos, et dicto de more *Ecce Agnus Dei* etc. et ter *Domine, non sum dignus* etc., communicat Fratres, primo Sacerdotes Stolis albis

amictos, deinde Clericos ac Laicos genuflexos in ora suppedanei: si vero Fideles sint communicandi, ad cancellos expansa mappa super septum communcentur. Peracta Communione, Celebrans se vertit ad Altare, cooperit Pyxidem, facta prius genuflexione, et eam in Tabernaculo ponit.

1380. Verum, si adesset aliis Sacerdos, vel ipse Assistens, induta Stola supra cottam et assumpto Velo humerali, poterit Pyxidem sumere genuflexus de manibus Celebrantis, et descendens per latus Epistolae, praecedentibus duobus Fratribus cum candelis accensis, alioque subsequente cum umbella, ad Sacristiam vel alium locum ad hoc paratum deferre, ibique in Tabernaculo reponere. Incedens autem dicat aliquem Psalmum, sed sine *Gloria*. Locus sit convenienter ornatus, tempore repositionis Pyxidis accensae ibi sint duae saltem candelae, et postea iugiter ibi ardeat lampas. Ostium Tabernaculi sit bene clausum, et Sacerdos secum deferat clavem.

1381. Celebrans, deposita vel tradita Pyxide alteri Sacerdoti, purificationem accipiet more solito, inde ablutionem, sed nil prorsus abscedens de medio Altaris, Calicem tamen utraque manu tenens extra Corporale. Calicem hinc abstergat, et coopertum Clerico tradat, ut eum deferat ad abacum, et Missam perficiat iisdem ritibus, quibus celebratur exposito SS. Sacramento. Ad Evangelium S. Ioannis signat tabellam, non autem Altare, quia SS. Sacramentum manet supra mensam eiusdem Altaris. Interim accenduntur cerei in Sacello, in quo reponendum est SS. Sacramentum, disponitur baldachinum sive umbella, et distribuuntur cerei accensi Fratribus.

1382. Missa finita, Celebrans et si qui sunt cum ipso ad Altare, facta genuflexione in suppedaneo, descendunt in planum in cornu Epistolae, ubi Celebrans, dimissa Planeta et Manipulo, Pluviale albi coloris induit; deinde accedit ante Altare medius inter Assistentes fimbrias Pluvialis sustinentes, et facta duplice genuflexione in plano, omnes surgunt et adgeniculant in inferiori gradu. Brevi peracta oratione assurgunt, et more solito, imposito incenso, sine benedictione et sine osculis in thuribulo vel in duobus si habeantur, genuflectunt, ac Celebrans, accepto ab Assistente uno ex thuribulis, SS. Sacramentum thurificat, reddit thuribulum Assistenti et hic Thuriferario.

1383. Hinc Celebrans a primo Clerico assistente accipit Velum humerale, quod secundus alligat, ac surgens ascendit in suppedaneum, genuflectit, surgit, et si velum Calicis antea alligatum non foret, modo vitta serica ligat, deinde accipit Calicem sinistra per nodum, et dexteram ponit supra Patenam; Assistentes autem surgentes extendunt extremitates ambas Veli humeralis, ita ut contegant Calicem et manus Celebrantis, qui inde ad populum conversus intonat Hymnum *Pange lingua* etc. quem alii prosequuntur, et fit processio ad Sacellum ordine sequenti. Praecedit Crucifer cum Cruce velo violaceo tecta, inter duos Ceroferarios; hinc Fratres cum luminibus, bini et bini, non confuse, sed per ordinem iuxta gradum et aetatem: Clericus vel Clerici cum thuribulo fumigante ipsum leviter agitando SS. Sacramentum iugiter incensantes: Celebrans sub baldachino seu umbella inter duos Assistentes fimbrias Pluvialis sustinentes.

1384. Ad Sacellum cum perventum fuerit, Crucifer et Ceroferarii sistunt prope eiusdem aditum ad latus Evangelii, caeteri se disponunt in duas partes, ita ut Thuriferarii, Celebrans et Assistentes sub baldachino libere possint transire per medium. Omnes autem ordinatim ita se statuunt, ut digniores Altari proximiores sint. Celebrans ascendit Altare Sacelli et deponit Calicem super Corporale. Si adsit Sacerdos assistens, Celebrans, facta in suppedaneo genuflexione, descendit, et adgeniculatus in infimo gradu dimittit Velum humerale, interea Sacerdos assistens imposta sibi Stola alba, peracta genuflexione parum in latere Epistolae, sumit Calicem et reponit in Urna parata, adhibito scabello, si opus sit, ipsum ministrante Clerico vel Laico superpelliceo induito, et ostiolum Urnae apertum relinquens in suppedaneo iterum eodem modo genuflectit, et descensus ad suum locum in infimo gradu, ibi in genua procumbit. Si autem Sacerdos assistens non adisset, Celebrans, deposito Calice, genuflexus in suppedaneo deponit Velum humerale, et surgens Calicem collocat in Urna, quin ostiolum claudat, et facta genuflexione in suppedaneo descendit, et in infimum gradum genua flectit. Tunc intonat *Tantum ergo*, vel prosequitur Hymnum ubi suspensus fuerit: ad verba *Veneremur cernui* omnes profunde se inclinant, hinc Celebrans cum Assistentibus surgens imponit incensum in thuribulo, ut num. 1382, et SS. Sacramentum cum debitis reverentiis genuflexus incensat. Peracta thurificatione, Sacerdos assistens, vel ipse Celebrans, si Assistens non adsit, surgit, ascendiit in suppedaneum, genuflectit, assurgit, et Urnam claudit, extrahens cla-